UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr - Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sectio I. De numero & qualitate actuum notionalium, ubi an sint de aliquo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

Visual Library

DISPVTATIO LIX.

De actibus notionalibus.

Datur in Deo vera potentia generandi, & ſpirandi.

SVPRA, Diſputatione 50. Sect. 2. 3. & 4. oſtendi, dari in Deo veram & realem potentiam generandi & ſpirandi, non quidem reſpectu generationis & ſpirationis activæ, ſed reſpectu terminorum productorum, Filii ſcilicet, & Spiritus Sancti, & ad proceſſiones paſſivas. Nunc ergo, ut hæc potentia melius cognoſcatur, ejúſque natura clariùs nobis innoteſcat, de illius operationibus hic agendum, actuúmque notionalium numerus, & proprietates inveſtigandæ.

SECTIO PRIMA.

De numero, & qualitate actuum notionalium: ubi an ſint de aliquo.

I. *Quid ſint actus notionales.* ACtus notionales ſunt productiones in divinis Perſonis repertæ; dicuntur verò notionales, quòd non omnibus Perſonis communes, ſed quibuſdam proprii ſint ac peculiares, ſicque per eos noſcuntur Perſonæ, & diſtinguuntur. De his multa ſuperiùs, decurſu harum de Trinitate diſputationum dicta ſunt, ut Diſp. 50. 51. ſect. 3. Diſp. 52. & alibi: quædam tamen hîc neceſſariò adjicienda.

II. *Dari in Deo actus notionales, fide certum eſt.* Dari itaque in Deo hujuſmodi actus notionales cum S. Thoma hîc q. 41. art. 1. docent Theologi omnes, eſtque fide certum: ſunt autem *generatio activa & paſſiva*, & *ſpiratio activa & paſſiva*. Ex his prima ſoli Patri convenit, ſecunda Filio, tertia Patri ſimul & Filio, quarta denique Spiritui Sancto. *Quatuor actuum duo tantùm ſunt termini.* Singulis verò binariis horum actuum notionalium, ut latè probat S. Thomas q. illâ 41. art. 6. unus tantùm terminus, ſeu Perſona producta aſſignatur, generationi quippe activæ & paſſivæ Filius, ſeu Verbum Patris reſpondet, ſpirationi autem activæ & paſſivæ reſpondet Spiritus Sanctus.

III. *Vtrùm actus notionales ſint de aliquo.* Circa actus hoſce notionales quæres primò, utrùm ſint *de aliquo?* Quæſtio autem procedit de actibus notionalibus paſſivis. Reſpondetur affirmativè: ita S. Thomas hîc, q. 41. art. 3. & cum eo Theologi omnes. Ratio eſt: Filius quippe eſt de ſubſtantiâ Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantiâ ſeu eſſentiâ utriuſque. Sic in Concilio Toletano II. in Confeſſione fidei habetur: *Filium de ſubſtantiâ Patris confitemur*: & in Concilio Niceno de eodem dicitur *Deum de Deo, lumen de lumine.* Hinc multi ex Sanctis Patribus illud Pſalmi 109. v. 4. *Ex utero ante luciferum genui te*, interpretantur, ut idem ſit *ex utero*, ac de Patris ſubſtantiâ. Qua de causâ Nicena Synodus in fine Symboli damnat eos, qui Filium dicebant *ex non ſubſtantibus factum, aut ex aliâ ſubſiſtentiâ vel ſubſtantiâ.* Quod etiam de Spiritu Sancto expreſsè multi ex Sanctis Patribus affirmant.

IV. *Quid ſit eſſe* de aliquo. Quæres ſecundò: quid ſit eſſe *de aliquo?* Requiritur inprimis ad hoc ut res ſit *de aliquo*, ut actio in illam ab eo procedat, de quo eſſe dicitur. Hoc tamen non ſufficit, actio enim à Deo in creaturas procedit, quæ nihilominus non dicuntur, eſſe de Deo. Vlteriùs ergo requiritur, ut aliquid ſubſtantiæ illius, de quo res eſſe dicitur in eâ remaneat; *Ad hoc ut quid ſit de aliquo, duo requiruntur.* quâ de causâ Filius in creatis dicitur de ſubſtantiâ Patris, quia aliquid ſubſtantiæ paternæ per generationem accipit. Cùm ergo, ut numero præcedente dictum eſt, Filius æternus totam Patris eſſentiam, ſeu naturam per generationem paſſivam accipiat, ut Spiritus Sanctus ſimiliter totam Patris & Filii eſſentiam per ſpirationem paſſivam, conſtat tam actus hoſce notionales, quàm terminos eſſe *de aliquo.*

V. *Differentia inter particulas De & Ex.* Et hæc eſt differentia inter particulam *de* & *ex*; *de* enim principium intrinſecum & conſubſtantiale plerumque ſignificat; *ex* principium activum extrinſecum. Interdum tamen *de* pro principio activo extrinſeco uſurpatur, *ex* pro intrinſeco: ſic Matth. 1. v. 20. dicitur: *Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* In Symbolo etiam Niceno de Filio dicitur, *Et ex Patre natum ante omnia ſæcula.* Quare licèt communis harum vocum uſus ſit ille, quem diximus, hæc tamen regula non eſt ita univerſalis, quin particularem patiatur exceptionem.

VI. *Filius & Spiritus Sãctus non creantur.* Hinc conſtat Filium & Spiritum Sanctum non creari, cùm non ex nihilo; ſed de ſubſtantiâ, ille Patris, hic Patris ſimul & Filii procedat, eandemque omnes habeant naturam & eſſentiam.

VII. *Sitne divina Eſſentia ullo modo inſtar materia, aut forma.* Quæres tertiò: Utrùm divina Eſſentia reſpectu Filii & Spiritus Sancti habeat ſe inſtar materiæ, an verò inſtar formæ? Reſpondetur, ſi loquamur realiter, & à parte rei, certum eſt divinam eſſentiam nec eſſe materiam, nec formam, cùm non ſit quid realiter incompletum, ſed cum Relationibus, ſeu Perſonalitatibus identificata. Ratione tamen noſtrâ quandam, ſecluſis imperfectionibus, habet cum materiâ in quibuſdam analogiam; ſicut enim dum homo, aut aliud compoſitum producitur, materia in eo manet, ita eſſentia, de qua producitur Filius ex. gratia manet in Filio. *Quandam habet cum materiâ analogiam, quandam cum formâ.* Deinde quemadmodum materia eſt indifferens ad varias formas, & per hanc formam determinatur ad hoc compoſitum, per aliam ad illud, ita natura ſeu eſſentia divina per unam Relationem determinatur ad hanc Perſonam conſtituendam, per aliam ad illam. Quandam etiam habet analogiam cum formâ; ſicut namque forma eſt à quo procedunt proprietates & paſſiones, ita Eſſentia in Deo eſt radix attributorum & Perſonalitatum increatarum, ſicut forma radix perſonalitatis creatæ.

Quæres

VIII. *Quis ſit terminus formalis actuũ notionalium*

Quæres quartò: Quis ſit terminus formalis actuum notionalium, Eſſentia, an Relatio? Reſpondetur terminum formalem communicatum eſſe Eſſentiam, terminum verò formalem productum eſſe Relationem: ex his autem præcipua eſt Eſſentia, utpote tam Relationum, quàm Attributorum radix & fundamentum, ut dictum eſt numero præcedente.

SECTIO SECUNDA.

Vtrùm actus notionales ſint voluntarii.

I. *Probationes partis affirmativa.*

PARS affirmativa ſuaderi videtur; Concilium enim Sardicenſe anathematis damnavit aſſerentes, *Quod neque Conſilio, neque voluntate Pater genuerit Filium.* Patrem etiam voluntariè genuiſſe Filium S. Hilarius, S. Clemens Romanus, & alii affirmant. Hoc autem de ſpiritu Sancto, multo certius videtur, utpote qui per voluntatem & amorem à Patre & Filio procedit.

II. *Rationes pro parte negante.*

In contrarium verò facit Concilium Toletanum II. in Confeſſione enim fidei ſic habet: *Deus Pater Filium nec voluntate, nec neceſſitate genuiſſe credendus eſt* &c. Quod etiam docet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri, cap. octavo.

III. *Quo pacto prædicta auctoritates ſint intelligenda.*

Hæc Conciliorum & Patrum dicta conciliari haud difficulter poſſunt, ſi dicamus, quando Concilia aſſerunt proceſſiones haſce non eſſe voluntarias, ſolùm voluiſſe non eſſe liberas, ut fingebant Ariani, qui ut Filium Dei probarent eſſe creaturam, dixerunt eum liberè eſſe productum. Idem eſt de Spiritu Sancto, cujus productio nequit ullo modo eſſe libera, magis quàm productio Filii.

Proceſſiones divina non ſunt libera.

Ratio autem utriuſque eſt, Filius enim & Spiritus Sanctus ſunt verus Deus, ac proinde neceſſariò & eſſentialiter exiſtunt, nec poſſunt non eſſe, & produci.

IV. *Quo ſenſu Doctores aliqui dicant actus notionales eſſe liberos.*

Quando ergo Henricus in ſummâ, art. 6. q. 1. & Scotus in 1. diſt. 10. q. unicâ, proceſſionem Spiritus Sancti dicunt eſſe liberam, per *liberum* non intelligunt indifferens ad exiſtendum & non exiſtendum, ſed tantùm liberum à coactione: quo etiam ſenſu ſumendum eſt teſtimonium illud Concilii Toletani, num. 2. citatum, dum dicit Patrem æternum *nec voluntate, nec neceſſitate* genuiſſe Filium, vult enim nec liberè eum genuiſſe nec coactè. Eodem modo intelligendus eſt S. Ambroſius lib. 4. de fide ad Gratianum, cap. 4. dum generationem Verbi liberam appellat.

V. *Generatiò Filii non eſt à voluntate ut principio à quo.*

Difficultas peculiaris eſt circa generationem Filii, quomodo poſſit eſſe voluntaria; certum enim eſt non procedere à voluntate ut à principio *à quo*: hoc enim modo Filius, ut poſtea dicemus, non procedit à voluntate, ſed à ſolo intellectu. Neque etiam ideo eſt voluntaria, quia provenit à voluntate quaſi inclinante & determinante intellectum ad Verbi generationem, nil enim opus inclinatione hujuſcemodi, ſeu determinatione, cùm ex infinitâ propenſione ac pondere, & omnino neceſſariò Filius producatur. Et hoc etiam modo intelligendum eſt dictum illud Concilii Toletani aſſerentis *Filium non fuiſſe genitum voluntate, quia voluntas non prævenit Sapientiam*: & S. Ambroſius numero præcedente relatus, dum dicit *Generationem non eſſe poſteriorem voluntate Dei.*

VI. *Complacentia, per quã generatio Verbi dicitur voluntaria, eſt conſequens generationem.*

Mihi ergo probabilius videtur cum P. Suarez hîc, lib. 6. de Trin. cap. 4. & aliis, Generationem Filii eſſe voluntariam, voluntate non antecedente, ſed conſequente; ratione ſcilicet complacentiæ, quam Pater habet de hac generatione & Filio exiſtentibus. Ratio eſt, *nihil enim volitum, quin præcognitum*; voluntas ſiquidem in nihil ferri poteſt, quod ei ab intellectu non repræſentatur; cùm ergo hæc complacentia ſit de generatione, ſupponit generationem cognitam, ergo eam ſupponit poſitam; Pater quippe cognoſcendo, ſeu intelligendo generat.

VII. *Complacentia hac pro illo priori cognoſcitur, ſed non ut exiſtens pro priori.*

Dices: Pater pro illo priori, quo generat, cognoſcit hanc complacentiam, & ex illâ cognitâ generat Filium, ergo illa eſt pro priori ad generationem. Negatur tamen conſequentia; aliud enim eſt complacentiam illam, pro, ſeu in illo priori videri exiſtentem, aliud videri exiſtentem pro priori: primo modo, non ſecundo Pater videt eam complacentiam, loquendo ratione noſtrâ, & prout eam concipimus ad modum rerum creatarum, in quibus volitio ſemper ſequitur intellectionem; & Pater hac ratione eam videndo, communicat etiam illam Filio, utpote cui, ut ſuprà vidimus, omnia dat, præter eſſe Patrem. Sed hac de re plura dicentur infrà, dum de Perſonis in particulari.

VIII. *Quomodo Spiritus Sancti proceſſio ſit voluntaria.*

Circa actum notionalem, quo producitur Spiritus Sanctus, minor eſt difficultas quomodo ſit voluntarius; voluntas enim in Patre & Filio eſt illius principium, utpote à quibus, tanquam amor eorum mutuus, & reciprocus procedit: de quo plura poſtea, dum de Spiritu Sancto, ejuſque productione peculiariter agetur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN